



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)



PRÆFATIO  
AD PATRES, AC FRATRES  
SOCIETATIS JESU.

*Nominatim ad eos,*

QUI IN TERTIA PROBATIONE

Instruunt, & instruuntur,

ET AD

TIRONUM INSTRUCTORES.



Uintæ Editioni *Exercitiorum Spiritu-  
tualium S. P. Nostri explanatorum,*  
duas addideramus *Appendices:* in  
quarum secundâ, inhærendo verbis,  
& documentis S. P. Nostri, ageba-

mus, *De modo tradendi Exercitia externis;* &  
propositæ ibi sunt tres Classes: Prima videlicet  
eorum, quibus integra Exercitia; altera eorum,  
quibus solam primam Hebdomadam; tertia verò  
eorum, quibus sola Examina, cum tribus orandi  
modis convenit tradere. *In Appendice Primâ* ex-  
hibuimus Varios Ordines, tam pro illis, qui per  
octo; quam pro illis, qui per triginta circiter dies  
in Sancto illo Exercitiorum Secessu vellent versa-  
ri: Designando, quid unoquoque die meditari,  
quid ex Asceticis libris legere possint: ex quibus  
*ordinibus*, sibi quisque unum deligere potest, qui  
separat ad Exercitia peragenda. Facile quidem  
placebant isti *Ordines:* Nam fuerant expetiti. At

A

ecce

ecce ex variis Provinciis, & Assistentiis, Patres, zelo ad Exercitiorum Spiritum promovendum pleni, notabant, plerasque Meditationes, quæ singulis diebus, in *ordinibus* istis assignantur, à S. P. Nostro relictas fuisse, quasi informes. Satis nimirum illi fuit, tradere artem Meditationes formandi, quam tum alibi; tum in *Specimine Meditationis*, quod *Appendicem* primam proximè præcedit, per duos §§. pluribus explanavimus. Optabant proinde Patres illi, ut ad commodiorem usum, Meditationes juxtà S. P. Nostri Methodum, formarentur, & in sua puncta distribuèrentur: Suadebantque ut Meditationes sic formatas, ad domos Probationum potissimum dirigeremus. Horum igitur Consiliis acquiescentes, & obsequentes, ad Vos R. R. Patres, nos convertimus, Vobisque hanc APPENDICEM *tertiam* offerimus. Ad Vestrum enim Cæleste Studium spectat vel maximè, quidquid spectat ad peritiam, & praxim admirabilis illius libri Exercitiorum Spiritualium S. P. Nostri Ignatii.

Quamvis, ut jam dicebamus, APPENDIX *secunda* agat *de modo tradendi Exercitia Externis*, nequaquam tamen illa quæ ibi ex ipsis S. P. Nostri verbis, & principiis tradidimus, animus fuit applicare propiùs ad praxim, quæ ut consideranti patet, latissimè se extendit, ob innumeram quodammodo personarum externarum varietatem, quæ ætate, valetudine, viribus, ingenio, conditione, voluntate cæterisque rebus plurimum, inter se differunt. Harum curam aliis relinquimus, quæ poterit dividi inter multos: Veluti si quis, semper  
inhæren-

inhærendo principiis S. P. Nostri, sumat sibi Provinciam adaptandi Exercitia Viris Ecclesiasticis, certâ dignitate conspicuis, iisque vel Animarum, & Ecclesiarum sollicitudine præditis, vel omnino liberis: Alius, Viris in toga; alius, in Sago Illustribus juvandis operam det; alius, rudioribus; alius, eruditioribus se impendat; qui singuli in plures partes sive classes subdividi possunt, sicut ex *Appendice* secundâ facilè concludi potest. Hunc latissimum campum non ingredimur, qui non unius; sed multorum labori apertus est. Vobis solis, R. R. Patres, in hac nostra parva lucubratione servire volumus, qui inter perpaucos, quibus integra Exercitia dare conveniat, estis omnino primi, & præ cæteris rectè præparati. Neque tamen idcirco Externos negligimus, aut excludimus. Certi enim sumus, si vos scopum, quem S. P. Noster vobis proponit, attigeritis, uberrimos à vobis fructus in omne hominum genus promanuros, & unumquemque, qui vobiscum aget, illius Spiritûs, quem in Exercitiis hausistis, participem futurum.

Quia igitur Vobis perficiendis labor hic noster assumptus est, in Meditationibus hisce, fructus vobis maximè proprios colligere conati sumus, hoc est, illos, quos S. P. Noster in Capitalibus Meditationibus, quæ sunt quasi anima, quâ cæteræ imbui debent, nobis proponit: & fructus illi identidem inculcantur, ut sic ad Scopum, in quem S. P. Noster collimat, qui est tertius humilitatis modus, certius perveniamus. Quod si Scopum hunc attigeritis, nihil ultra est; quod ad Christi arden-

4  
P R Æ F A T I O.

tissimum amorem, hoc est, ad summum perfectionis culmen, requiri aut addi possit. At summa hæc virtus posita est loco maximè arduo: & quamvis sexcenties in annuo Exercitiorum recessu, clarissimè perspexeritis eò connitendum esse omnibus viribus, & apud animum vestrum decreveritis re ipsa Christum ità sequi: quando tamen tempus venerit, quo id ipso opere exequendum est, tunc enim verò sentietis, & lumen illud, & animos illos sæpe languescere.

Hæc est depravata naturæ nostræ conditio: tam altè videlicet in nobis radices egerunt, tres illi tentationum gradus, de quibus sermo est in Meditatione *de 2. Vexillis*, qui tertio illi humilitatis modo, è diametro sunt oppositi, ut tum ferè fortius nos oppugnent, quando Christi vestigia jam jam premenda sunt. Sed ne cadamus animis; nam S. P. Noster adversus hanc nostram imbecillitatem, remedia aptissima præscripsit; colloquia scilicet, quibus Dei auxilium, contra hostes tam pertinaces, exposcimus, diffidentes nobis; Sed Dei gratiæ tantò magis fidentes. De his omnibus plura in Explanacionibus videri possunt.

Jam sicut in Explanacionibus id Nobis præcipuè cordi fuit, ne usquam à sensu, & mente S. P. Nostri deviaemus, rati in sincero libri Exercitiorum sensu, situm esse sincerum Societatis Nostræ Spiritum; Sic nunc iisdem nos limitibus constrinximus. Quapropter in primâ quidem Hebdomade, in qua unius tantum diei Exercitia assignantur, addimus plura pro diebus aliis, sicut S. P. Noster ibidem notat faciendum; In reliquis verò hebdo-

hebdomadibus, nullum argumentum meditandi proponimus, quod non proponitur à S. P. Nostro.

Ex singulis autem Mysteriorum punctis; quæ, ut in Explanationibus ostendimus, valdè differunt à punctis Meditationis, formavimus integras Meditationes; redigendo unumquodque Mysterii punctum, in sua meditandi puncta, Hebdomadi cuique convenientia: Id quod S. P. Noster tradit fieri posse, in subnotando hebd. 3. antè Regulas *de victu*. Quod si quis malit ex duobus, vel tribus Mysterii punctis, unicam sibi formare Meditationem, facillimum est iisdem Mysterii punctis simul sumptis, eadem meditandi puncta applicare, atque eosdem fructus ex iis colligere.

Memores etiam fuimus Annotationis 2. inter 20. ubi S. P. Noster meditationem vult tradi, *adjectâ solùm brevi declaratiunculâ, ut is, qui meditaturus est, accepto veritatis historia primùm fundamento, discurrat postea & ratiocinetur per se ipsum. Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit --- gustum delectabiliorem, & uberiolem fructum percipiat; quàm si res ipsa ei ab altero diffusius narrata & declarata esset. Non enim abundantia scientia: sed sensus & gustus rerum interior desiderium animæ explere solet.* Ità S. P. Noster. Idcirco singula meditandi puncta breviter indicamus: ità tamen, ut ea, quæ spectant ad memoriæ, intellectus & voluntatis operationem distinguamus; sicut & conversionem, sive reflexionem ad nos ipsos, quam S. P. Noster sæpius commendat. In operatione voluntatis, & in colloquiis, non posuimus affectus, qui excitari possunt: sed ferè

tantum aliquid addimus, quo affectus, quibus pro varietate temporis variè solemus moveri, possint juvari & foveri. De affectibus videri potest Explanatio post Exercitium 1. hebd. 1. Frustrà hic moneremus, neminem constringi ad omnia Meditationis puncta percurrenda. Notum enim est, iis qui librum Exercitiorum S. P. Nostri inspexerint, quam libertatem hoc in genere meditaturis permittat.

Unicuique meditationi Præludia sua præfiximus, & cogitationem, quâ mens nostra dum evigilamus, & vestimur occupari debet. Quæ quia instanti meditationi congruere debet, CONGRUA à nobis appellatur; estque in unaquaque hebdomade diversa. Hanc autem ubique exprimendam censuimus, quia verebatur, ne à nonnullis, aut negligeretur, aut non ex præscripto S. P. Nostri adhiberetur.

Jam quæ de Recollectione, de Repetitione, & de sensuum applicatione meditationibus subjungimus, sic accipienda sunt; ut recollectio quidem, omnem; Repetitiones verò, & Applicatio sensuum, duas, ut plurimum Meditationes subsequantur. Constat itaque, Repetitiones, & applicationes sensuum aliter disponendas esse, si Meditationes plures in unam contrahantur.

At verò, quia has, quas nominavimus partes exprimere solemus, nequaquam existimandum est, cæteras, quæ à nobis expressæ hîc non sunt, minoris esse momenti, aut minori diligentia observandas. Nulla enim est, quæ non mirificè juvet, ad optatum ex meditatione fructum consequendum.

dum. Partes illas omnes ob oculos diligenter posuimus in *specimine meditationis*, posito antè *Appendicem* primam; nominatim §. 2. subnectimus nihilominus versus paucos, qui partes omnes comprehendunt, ut memoriam juvent.

## PRIDIE.

Puncta parata cubans, & somni tempora cense.

## MANE.

Quære vigil, quo tendendum? dein congrua volve.

## SIGNO DATO AD MEDITANDUM.

Præsentem Dominum reverere, illiq; propinqua.

Auxilium implora, sincerâ mente precandi.

Succedant terna, interdum Præludia bina.

Singula dein triplex animæ vis puncta revolvat:

Se moresque suos, noscens meliora, reformet.

Cumque Deo, Sanctisq; loquens in fine peroret.

## POST MEDITATIONEM.

Postremò num lex omnis servata, videndum.

**I**n hebdomade 1. tria Meditationis genera, quæ in Explanationibus antè *Mysteria Vita Christi*, notavimus nobis in libro Exercitiorum esse proposita. ordine suo posuimus. In hebdomade 2. redegimus Meditationes in tria puncta. In tertia verò redactæ sunt in sex; In quartâ autem hebdomade redactæ sunt Meditationes in quinque puncta: Sicut S. P. Noster nos docuit, nominatim in *Notando* 1. hebd. 4.

Denique quia non tantùm in solitudine, & recessu Exercitiorum; sed semper Methodus Medi-

tandi S. P. Nostri familiaris nobis esse debet; & quia in viâ ab ipso traditâ per totius anni, imò totius vitæ nostræ decursum perpetuo studio ad tertium humilitatis modum connitendum, & contendendum est; non abs re fore existimavimus, si seriem quamdam, distribuendi quotidiana Exercitia meditationum in certa anni tempora, subnecteremus. Hinc enim fructum saltem illum speramus proventurum, R. R. Patres, ut vel hac vel aliâ, quæ vobis commodior videbitur, serie utamini; neque perturbato confusoque modô procedatis, vobis ipsis molesti, dum identidem quæritur & dubitatur, quid cras meditandum sit. Sunt igitur qui hunc sibi ordinem præfigunt.

Die Dominicâ, unam; feriâ 2. alteram peragunt Meditationem. Feriâ 3. & 4. bis easdem repetunt. Feriâ 5. applicant illis sensus (de Repetitionibus, & Applicatione sensuum, vide explanationes) Feriâ 6. ut plurimum meditantur de Mysteriis Passionis Christi. Sabbato Meditationem aliquam capitalem ex libro Exercitiorum desumunt: Nam Spiritu illarum Capitalium v. G. *Fundamenti, de Regno Christi, &c.* omnia nostra Exercitia pia animari oportet, vel Sabbato interdum etiam utuntur uno ex *tribus modis orandi.*

Et ab Adventu quidem usque ad B. V. Purificationem materiam meditandi à die Dominicâ usque ad Feriam 5. inclusivè, desumunt ex Mysteriis Vitæ Christi, incipiendo ab Incarnatione, usque ad Ascensum in Templum anno duodecimo.

A Purificatione usque ad Dominicam 1. Quadrage-

dragefimæ sumunt iisdem diebus Meditationes ex hebdomade primâ.

A Dominicâ primâ quadragesimæ usque ad Pascha, meditantur de Mysteriis Passionis Christi: & tunc Feriâ 6. substituunt Meditationem ex hebdomade primâ.

A Paschate usque ad Dominicam, post octavam Corporis Christi, primam & majorem Hebdomadæ partem, ut diximus, impendunt Mysteriis Resurrectionis Christi: circa festum verò Pentecostis, SS. Trinitatis & Corporis Christi, inveniunt argumenta apta in Meditationibus, *ad Amorem Spiritualem excitandum.*

A Dominicâ post octavam Corporis Christi, usque ad Adventum, meditantur de Mysteriis Vitæ Christi, *ab Ascensu in Templum anno duodecimo* usque ad diem *Palmarum*. Feriâ 6. Semper meditando de Passione: Sabbato autem ex libro Exercitiorum, sicut supra dictum est; nisi quod inter Capitales Meditationes possit numerari, & interdum adhiberi aliqua ex Hebdomade 1. vel *ad Amorem Spiritualem excitandum.*

Qui verò malunt diebus Dominicis meditari de Evangelio, ii unicam repetitionem instituunt Feriâ 4. & applicant sensus Feriâ 5.

Omnis Meditatio facillimè applicatur Sanctis. Nam illi exemplum nobis singulare reliquerunt in eâ virtute, de quacumque demum meditemur, & præ omnibus B. Virgo: & sicut molestiarum & laborum in sequendo Christo participes fuerunt; sic etiam felicitas, victoria, & gloria illis communicata est.

A 5

Ad

Ad extremum RR. Patres hoc agamus, ut numquam in nobis cesset studium admirabilis libri Exercitiorum: quò sæpiùs & diutiùs illi vacabitis, eò magis sciatis & gustabitis, quàm suavis sit Dominus, & quàm sit Divinus spiritus, qui in eo latet. Quamdiu Spiritus ille in Societate vigeat, tamdiu vigeat charitas; & persecutionibus, quas orcus suscitatur, erimus superiores; & per totum orbem terrarum vexillum Christi circumferemus, ac post omnia, felicitatis & victoriæ, nos quoque cum Sanctis participes fiamus, sicut laborum & molestiarum Christi participes extiterimus. Hoc ut Deus perficiat & confirmet in nobis, vovebam toto animo. Romæ in ipsâ Festivitate SS. Corporis Christi, Anno 1698.

RR. VV.

*Humillimus Servus in Christo*

IGNATIUS DIERTINS.